



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli Paderbornensis

Dietrich <von Engelsheim>

Münster, [1893-1897]

65. Epistola capituli Paderborniensis missa consilio Basiliensi ratione
incorporacionis impetrate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54427)

Isto anno MCCCCXLIII obiit idem dominus Conradus archiepiscopus, qui consensum domino nostro Coloniensi adhibuit ad incorporacionem impetrandam; de quo ad presens omnis scriptura illius libri mentionatur.¹⁾

Copia littere scripte sacro concilio Basiliensi per capitulum Paderbornense.

Collationirt mit einer gleichalterigen Abschrift im Königl. Staatsarchiv Münster. Fürstenthum Paderborn Nr. 1520. 24 a. Erhebliche Abweichungen sind in den Fußnoten ersichtlich gemacht.

Humili et devota recommendacione premissa Reverendissimi in Christo patres et domini prestantissimi! Quia nos heu in libertatibus, iuribus ac rebus et possessionibus ecclesie nostre Paderbornensis graviter opprimimur, maxime pro et ex eo, quod proprio pastore in ecclesia et dyocesi Paderbornensi residente aliquamdiu et ad presens dinoscimur vacare, ideo²⁾ ad vestrarum paternitatum auxilium, prudentiam³⁾ et suffragium credimus non indigne recurrendum, animo amaro dolenter exponentes, quod, licet venerabilis cathedralis Paderbornensis ecclesia per septingentos annos et ultra ac a tempore dive memorie Karoli Magni, Romanorum imperatoris semper augusti per spectabiles et solempnes de illustri baronum et nobilium genere creatas⁴⁾ personas pastores digne et laudabiliter usque ad presens fuerit gubernata, queque ad presens in possessionibus, fructibus, redditibus, iuribus, iurisdictionibus, civitate Paderborna, castris, opidis et villis sit adeo opulenta, quantum pro dignitate

65.

1434

23. Febr.

¹⁾ statt mentionatur. ²⁾ Beide Abschriften haben ideoque, wohl ein Versehen der Abschreiber. ³⁾ providenciam. ⁴⁾ procreatas.

et honore cathedre episcopalis sufficiat et expediat, cum civitatem Paderbornensem aliaque opida et castra murorum ambitu vallata ultra triginta vel quadraginta numero exceptis villis pleno iure et dominio in spiritualibus et temporalibus sub se habeat et possideat de presenti, nichilominus tamen pridem videlicet anno Domini MCCCCXV reverendissimus in Christo pater et dominus Theodericus, archiepiscopus Coloniensis, ipsam ecclesiam¹⁾ Paderbornensem a quondam domino Johanne, tunc olim papa XXIII post ipsius fugam a sacrosancto concilio Constanciensi sibi in opido Friburg ad vitam suam commendari ac literas desuper ab eodem expediri procuravit et obtinuit. Quarum vigore et pretextu taliter qualiter obtentorum et insinuatorum pro pace et ecclesie nostre rerum sperata conservacione idem dominus T(heodericus), archiepiscopus, ad eiusdem ecclesie Paderbornensis regimen et administracionem spe utilitatis prefate ecclesie Paderbornensis consequende admissus fuit. Sed heu, quod sperabamus provenire in gratiam, cecidit in noxam! Sane idem reverendissimus pater, dominus T(heodericus) archiepiscopus Coloniensis, premissis non contentus nobis irrequisitis, insciis et penitus ac omnino ignorantibus surreptitie et obrepticie ipsam ecclesiam Paderbornensem perpetuis futuris temporibus ecclesie Coloniensi, cui et tunc prefuit ac preest de presenti, a felicis recordationis domino quondam Martino tunc papa quinto, reverendissimis in Christo patribus, dominis cardinalibus protunc in Romana curia residentibus, ac collegium representantibus minime consentientibus, ymmo irrequisitis, insciis et ignorantibus clam et secreta incorporari, annecti et uniri litterasque desuper cameraliter expediri in vituperium non modicum et

¹⁾ nostram.

preiudicium venerabilis et vetuste cathedralis ecclesie Paderbornensis memorate nostrorumque iurium depressionem et lesionem quam maximas procuravit et obtinuit. Cumque premissa rumore populari et alias ad nostrum devenisset auditum, nos humilime et instancius eiusdem domini T(heoderici), archiepiscopi Coloniensis dominationi graciose supplicavimus, quatenus ipse terminis suis atque metis contentus nos et ecclesiam nostram in nostris et ipsius ecclesie iuribus, libertatibus, emunitatibus, possessionibus et aliis rebus iuramentis suis ac nostris prefatis inspectis et attentis pietatisque et iusticie intuitu, sicut per ipsum pretendi videntur, non gravare dignaretur. Hiisque nostris supplicacionibus digne exaudiendis per ipsum spretis et repulsis nos, ut non ecclesia nostra tam venerabilis et vetusta ita callide et astute in iuribus et alias suppeditari et nos perpetue veri pastoris solacio destitui contingeret, ab huiusmodi taliquali asserta et pretensa incorporacione et aliis ad sanctam sedem apostolicam appellavimus. Unde expensas magnas necessario fecimus atque graves, volentes pocius destitucionem bonorum temporalium, quam animarum dispendium sufferre. Quanta enim animarum discrimina parturiunt peregrina regimina, novit ille, qui nichil ignorat. Unde idem dominus T(heodericus), archiepiscopus Coloniensis pretextu dicte pretense commende et asserte incorporacionis intuitu quedam principaliora castra et opida, in quibus eciam episcopus Paderbornensis pro tempore consuevit residere, ad dictam ecclesiam Paderbornensem spectancia, preter nostrum consensum impignoravit et ypothecavit ac alienavit et iuramenta illicita a vasallis ecclesie Paderbornensis memorate occasione impignoracionis, ypothece et alienationis, que vergere videntur in perpetuam alienationem preciosorum bonorum immobilium, videlicet castrorum

et opidorum ad dictam ecclesiam Paderbornensem pertinencium, extorsit et recepit, prout ex veridicorum relatione didicimus, ac vox publica et fama et communis assercio hominum proclamat verum. Reverendissimi patres et domini prestantissimi! Nuper sanctissimus in Christo pater et dominus noster, dominus Eugenius papa modernus, senciens, incorporaciones et uniones si¹⁾ alias factas ipsis ecclesiis multum perniciosas fore, unde ipsas incorporaciones et uniones²⁾ publice pridem revocavit, cassavit et annullavit, hecque vestris paternitatibus non latere, minime dubitavimus. Ne igitur ipsa venerabilis ecclesia Paderbornensis et nos in iuribus, libertatibus, emunitatibus, iurisdictionibus et possessionibus detrimentum, quod verisimile contingi cernitur, paciamur et nos pastore proprio iugiter privemur, sed premissorum contrariis, quantum possumus, obviare cupientes, ut tenemur, ac ne nos propter iusiurandum de et super conservando dictam ecclesiam nostram in iuribus, proprietatibus suis prestitum gravemur, cumque eciam dictus dominus T(heodericus), archiepiscopus Coloniensis propriis laboribus et alias occasione dicte sue Coloniensis ecclesie sic adeo implicatus et involutus est, quod utilitati intendere ac incumbentibus periculis obviare dicte ecclesie nostre Paderbornensi nequeat, ut ex eo clare liquet, quia infra decennium et supra proxime elapsam tribus vel quatuor vicibus exceptis diocesim Paderbornensem non intravit, unde lupi rapaces bona ecclesie Paderbornensis antedicte et animas subditorum propter diurnam pastoris absentiam invadere non formidant, quare reverendissimi patres, vobis, quatenus attentis premissis ac pluribus aliis circumstanciis consideratis nobis oppressis piis vestris auxiliis dignemini succurrere, ut ecclesia

¹⁾ In der zweiten Copie steht „et“. ²⁾ fehlt in unserer Handschrift.

nostra predicta suis restituatur iuribus et pristinae libertati, necnon prefatum dominum T(heodericum), archiepiscopum Coloniensem per dictas pretensas unionem et incorporationem a dicta sua tali quali commenda ecclesie Paderbornensis recessisse ac ipsam commendam extinctam memoratasque pretensas unionem et incorporationem per predictum Sanctissimum in Christo patrem et dominum nostrum, dominum Eugenium, papam modernum revocatam et annullatam fore, nec non ipsam et omnia inde secuta, etiam si sint nova confirmatione apostolica seu iuramentis vallata, nullius existere roboris vel momenti, decernere, iuramentaque predicta, quatenus de facto precesserant et contra libertatem et in detrimentum dicte nostre ecclesie Paderbornensis facta et prestita fuerunt, relaxare, nosque ad pristinum ius nostrum, quo nos facultatem de pastore idoneo dicte ecclesie nostre libere et canonice providere eligendo, postulando vel alias disponendo habere valeamus, indulgere et concedere, vel saltem a vestris Reverenciis pro nobis de persona idonea dicte ecclesie nostre utili provideri,¹⁾ per quam ipsa ecclesia nostra in suis iuribus conservari, de oppressis relevari valeat, et nos pristinis iuribus et libertatibus hactenus per septingentos annos et supra in sepedicta ecclesia nostra habitis et tentis uti possimus et gaudere pacifice et quiete, dignemini misericorditer et benigne propter eterne vite meritum nostrarumque precum frequentiam, humiliter et devotissime supplicamus. Spiritus sanctus, qui in cordibus vestris habitare speratur, paternitates vestras conservare et illuminare dignetur feliciter et longeve. Scriptum Paderborne sub anno DominiMCCCCXXXIII, in vigilia beati Mathie apostoli nostro sub sigillo.

Vestri humiles et devoti prepositus, decanus et capitulum ecclesie Paderbornensis.

¹⁾ ergänzt.

Copia littere sive conceptus incompleti capituli Paderbornensis contra litteram domini Coloniensis concilio scripte.¹⁾

66. Reverendissimis in Christo patribus, . . . dominis
 1434. Basilee in sacrosancta synodo congregatis, . . . prepositus,
 11. April. decanus et capitulum ecclesie Paderbornensis humilimam cum debita reverencia et obediencia recommendacionem. Noviter . . . non absque cordium nostrorum amaritudine percepimus, quomodo . . . dominus noster Theodericus, archiepiscopus Coloniensis . . . paternitatibus vestris mira de facultatum et proventuum ecclesie Paderbornensis exilitate patrieque huius . . . desolacione [denunciaverit.]²⁾ . . . Huiusmodi premissis sugestionibus et erroribus per . . . dominum nostrum Theodericum vestris paternitatibus expositis resistendo — nam demum error, cui non resistitur, approbari videtur, — ne videamur immemores nostrorum votorum nomine ecclesie Paderbornensis prestitorum —, exprimendo veritatem pauca referamus. . . . Olim vacante ecclesia Coloniensi per obitum felicitis recordacionis Frederici, . . . antistitis . . . dominus noster Theodericus . . . et quondam dominus Wylhelmus de Monte, frater ducis de Monte, ad ecclesiam Paderbornensem assumptus, simul discrepantibus vocibus ad ecclesiam Coloniensem . . . pariter electi [sunt.]³⁾ Idem dominus Theodericus, . . . potenciam ducis de Monte . . . predicti et suorum fautorum perhorrescens, pacem cum . . . Wilhelmo, electo ecclesie Paderbornensis tractavit, annuens, quod illi comitissa de Tekenburg, filia sororis sue matrimonialiter copularetur. Cui idem dominus Theodericus, ut dicebatur, in augmentum dotis supradictos XXIII millia florenos de ere episcopalis mense exhaustos donavit.

¹⁾ Mit Weglassung der vorher mehrfach geschilderten Zustände und Thatfachen nur im Auszuge wiedergegeben. ²⁾ Fehlt im Texte, ist ergänzt; die folgende Schilderung, ein Auszug aus dem Urkundenstücke Nr. 61, ist ausgelassen. ³⁾ ergänzt.